





DISQUISITIO JURIDICA INAUGURALIS 1732 13
DE
DIFFERENTIIS
INTER SCTVM VELLEJ. ET AVTH.
SI QVA MVLIER C. AD SCTVM VELLEJ.
SEV
INTER VXOREM PRO MARITO ET MVLIEREM
PRO EXTRANEO INTERCEDENTEM.

QVAM,
DIVINA FAVENTE GRATIA,
IN ILLVSTRI ACADEMIA GRYPHICA,
P R Æ S I D E
DN. PHILIP. BALTHASAR.
GERDES,

JCTO, REGII CONSISTORII PER POMERANIAM SVE-
CICAM ET RVGIAM DIRECTORE,
PROF. JVR. ORDINARIO, FAC. JVR. SENIORE ET P. T. DECANO.

PRO LICENTIA
SVMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,
D. AVG. MDCCXXXII.
IN AVDITORIO MAXIMO
H. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
CARL DANIEL SCHLAFF,
REGII SVMMI TRIBVNALIS, QVOD EST WISMARIÆ,
DESIGNATVS PROCVRATOR,
CIVITATIS WISMAR. SENATOR, ET ADVOC.
CANCELL. SCHWER.

GRYPHISWALDIÆ, ex Officina C. HOEPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

575 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILLINOIS 60637

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT





CAPVT I.

- 1) *Summa dicendorum*; 2) *de usu hodierno auct. & Scti Vellej. agitur, & utriusque rationes adducuntur.* 3) *Domini LVDEWIGII sententia contra usum Scti in Germ. item 4) auct. si qua mulier; rejicitur,* 5) *an Sctum Vell. Hamburgi, item 6) an jure Lubec. extra omnem usum sit?* 7) *an mulier, cum curatoris consensu contrahens, gaudeat restitutione in Int.?* 8) *THOMASII sententia de exiguo Scti Vell. in foris Germ. usu examinatur;* 9) *an Sctum Vell. juri naturali repugnet?*

Non est animus, integram doctrinam Scti Vellejani r. & authentica, si qua mulier C. ad Sctum Vellej. pertrahere, quia Sctum Vellejanum commentatores in hunc ff. & Cod. titulum, alique insuper Doctores, specialibus opusculis, ac pariter auct. si qua mulier C. ad Sctum Vell. RICHTER in *Comm. ad d. auct.* & præprimis ION. Si.

A 2

SIBRAND in *Disf. de Intercessione mulieris pro marito ex avib. si qua mulier C. ad SCtum Vell.*, prolixè jam exposuerunt; sed faltem differentias inter *SCtum Vell. & avib. si qua mulier*, proponunt 2. easdemque nostro subijcere examini. Antequam vero ad ipsas accedimus differentias, summam *SCti Vell. & avib. si qua mulier*, nec minus de usu hodierno, præprimis *SCti Vellejani*, quædam dicenda præmittemus. *SCto Vellejano* succurritur feminis pro aliis intercedentibus, ne exinde efficaciter obligentur. *Authentica, si qua mulier* vero, quæ defuncta est è *Nov. 134. c. 8.*, cujus auctor est Imperator Justinianus, specialiter subvenitur uxoribus, pro maritis intercedentibus, & se obligantibus, ut nulla prorsus actione exinde conveniri possint. Ratio *SCti Vellejani* in ipso *SCto* expressa est, his verbis: *cum, feminis viriibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus obstringi, non sit æquum.* Æquitatis ratio ex conditione sexus constat, quia ejus sexus magna imbecillitas, *L. 2. §. 2. ff. ad SCtum Vell. & infirmitas, L. 2. §. 3. ff. L. 56. C. ad SCtum Vell.* Præter has adhuc aliæ rationes pro *authentica, si qua mulier*, adducuntur, nempe metus & 3. blanditiæ maritales. Dominus *LVDEWIG* in *Disf. de differentiis juris Romani & Germanici in SCto Vellej. P. 2. diff. 1. n. 12.*, plures alias rationes *SCti Vellejani* congescit, quæ vero in legibus non inveniuntur, hinc adulterinæ & ab ipso effictæ sunt. Interim, quo usum *SCti Vellej. in Germania* infringat, afferit, *SCtum Vellejanum* patrio juri non convenire, ejusque rationes feminis Germanicis esse inconcinnas. Scilicet existimat, judicii imbecillitatem & sexus infirmitatem a feminis Germanicis longissime abesse, nec reliquas a se inventas rationes in iis reperiri. Verum superfedere possumus hæc destruere, cum Dominus *TENTZEL* in *Disf. de Vidua defuncti mariti debita suscipiente, an gaudeat SCto Vellej. & avib. si qua mulier §. 9. 10. & 11.*, hæc somnia jam discussit, in fine scribens: *Farragines & fragmenta differentiarum esse. Eadem tantum in nova vita (scil. novo publicato iure) consecutura.*

Eadem

Eadem tamen ratione de authentica, *si qva mulier*, in Disf. 4. de differentiis juris Romani & Germanici in fidejussione uxoris, disferit. Nam existimat, rationem authenticæ apud Germanos esse improvidam & inconsultam, hinc mereri, ut proscribatur cum sua noverca, nempe SCto Vellejano. Verum rationes speciales authenticæ, *si qva mulier*, supra adductas, in Germania cessare, non temere quis dixerit, nisi expertus credat, uxores in Germania dominari maritis, hosque uxorum, earumque blanditiarum esse mancipia. Equidem Dominus LVDEWIG all. l. novam *auth. si qva mulier*, affert rationem, nempe licentiam divortiorum; sed de ea in d. *auth. est altum silentium*, quin ipse debet concedere, Justinianum Imperatorem fustulisse divortiorum intemperiem ac libidinem. Quare verosimile est, Imperatorem Justinianum hanc rationem minime respexisse. Præterea Dominus LVDEWIG in Disf. de Differentiis juris Romani & Germanici in SCto Vellej. P. 2. diff. l. n. 13. non solum generatim asserit, jure Germanico femineas fidejussiones esse licitas, sed quoque plures in Germania respublicas enumerat, quæ SCtum Vellejanum non agnoscunt. Verum licet in quibusdam Germaniæ locis SCtum Vellejanum non sit receptum, inde tamen non consequitur, in Germania illud non agnosci, cum in plerisque Germaniæ Provinciis SCtum Vellejanum in viridi sit observantia. Non convenit scopo, varia statuta, quæ recenset, examinare, attamen suspecta nobis sunt, quæ de jure Hamburgensi & Lubecensi refert. Nam SCtum Vellejanum Hamburgi non omnino extra usum esse, apparet evidenter ex Stat. Hamb. P. 3. Tit. 6. §. 5., ubi a matre tutrice renunciatio SCTi Vellejani exigitur, quæ inconvenienter plane requireretur, si Vellejanum SCtum Hamburgi nullo esset in usu. De jure Lubecensi feminas propter intercessiones SCto Vellejano non adjuvari, sibi persuasum habet Dominus LVDEWIG, motus art. l. iir. 10. Lib. 1. ibi: Es mag keine Frau höher Bürge werden, ohn Willen der Vormünder, denn vor dreithalb

halb Pfening, ausserhalb deder, welche Kauffmanschaft, Handel und Wandel treiben, was dieselbe geloben, müssen sie gelten und bezahlen. Inde a contrario ipse argumentatur, intercessiones feminarum, über dritthalb Pfening, cum curatoris consensu factas, univèrse validas esse. Ast, illustris Dominus MEVIUS, Juris Lubecensis scientissimus, ad *all. art. n. 64.* statuit, feminam jure Lubecensi æque ac communi ex fidejussione non obligari, nec præsentiam curatoris SCTum Vellejanum excludere. Itaque sententiam, quam Dn. LVDEWIG ex *d. art.* elicit, restringit ad casus, quibus jus Justinianeum intercessionis mulierum validas habet. Hanc illustris Dn. MEVIUS interpretationem, quam praxis in locis, ubi jus Lubecense receptum est, confirmat, Dominus LVDEWIG temeraria censura perstringit, dicens, Dominum MEVIUM, glaucomate juris Romani obductum, non ausum, quod lex vult, affirmare, sed turbasse circulos juris Romani & Germanici, imo ad ultimum expungendum usum esse figmentis. At enim vero potiori jure dicere licet, quod impotens in jus Germanicum affectus ipse oculis caliginem offuderit. Nam illustris Domini MEVIUS sententia non solum regulis interpretandi statuta convenit, quippe praxi in Germania receptum est, statuta ex jure communi declarare, restringere & ampliare, sed quoque in jure Lubecensi & quidem *art. 7. tit. 5. L. 1.* satis fundata est. Nam in hoc articulo dicitur, uxorem pro marito fidejubere posse, si mercatrix sit, aut muliebribus beneficiis renuntiaverit. Vnde a contrario sequitur, ut uxoris non mercatricis intercessio pro marito sit inefficax, si non renuntiaverit beneficiis muliebribus. Quod si vero uxoris pro marito facta intercessio sine renuntiatione propter SCTum Vellej. & *ayth. si qua mulier*, irrita est, æque feminæ pro extraneo facta fidejussio ob SCTum Vellej. inefficax erit, nisi eidem renuntiatum sit, sicut etiam MEVIUS ad *jus Lub. L. 1. art. 1. Tit. 10.*, attestatur, a feminis, quæ sunt sub jure Lubecensi, SCTo Vellejano renuntiarî; quod argumentum.

gumento est, extra renuntiationem eas valere de jure Lubecensi. Quod vero in *art. alleg. 7.*, ubi ad validitatem uxoris intercessionis pro marito renuntiatio necessaria est, ea intelligenda sit, quæ, curatore a parte uxoris interveniente facta est, vix dubium recipit, quia renuntiatio, uti ipsa intercessio, sine curatore facta, jure Lubecensi nulla & invalida est. Verum obstare videtur, quod uxor jure Lubecensi æs alienum mariti ob communionem solvere debeat. Unde dicendum videtur, quod uxor ad id eo magis teneatur, ubi intercessit, licet non renuntiaverit muliebribus beneficiis. Vbi enim communio bonorum est, ibi cessat *SCtum Vellejanum*, nec ullus est usus *arb. si qua mulier C. ad SCtum Vellej.* Quo argumento ex statutis quorundam locorum ad negandum usum *SCti Vellejani* in genere Dominus *LYDEWIG* quandoque delusus est. Sed primum nemo non videt, hoc argumentum saltem respicere uxores, non innuptas feminas. Deinde vero superest casus etiam illis in locis, ubi vera communio bonorum viget, quibus uxor *SCto Vellej.* renuntiare debet, utpote si intercedat pro marito quoad debita, ante nuptias contracta, quæ ex bonis communibus non sunt solvenda, hinc omnino *SCto* renuntiandum est, si uxor ea propter pro marito intercedere velit. Idem qua bona, quæ uxor sibi reservavit, nec in communionem intulit, obtinere, ut renuntiatione quoad hæc opus sit, si illa intercedendo pro marito se obligare velit, asserit *STRYK* in *usu mod. ff. ad SCtum Vellej. s. 5.* Denique ex jure Lubecensi constat, uxorem improlem ad æs alienum mariti indistincte non teneri, nisi quatenus pro marito cum renuntiatione beneficiorum muliebrum intercessit. Ex his manifestus fit usus *SCti Vellejani* & *arb. si qua mulier*, & illius quidem, qua feminas innuptas, hujus etiam qua uxores. Verum adhuc alia ex ratione usus *SCti Vellejani* de jure Lubecensi inanis esse videtur, si veram supponamus illorum sententiam, qui contendunt, mulierem curato-
re

re interveniente, cum aliquo contrahentem in negotiis, in quibus læsa est, in integrum restituendam esse, ceu defendunt IACOBI in inaug. Disput. de in Integr. rest. mul. c. 2. Witteberg. anno 1671 habita; SCHILTER Exerc. ad ff. XI. §. 9. THOMAS. in Diss. de exiguo usu S^Ci Vell. in Foris German. Verum contraria sententia, quod femina, cum curatoris sui consensu contrahens, de jure Lubecensi non restituitur in integrum, etsi læsa est, verior & communior habetur; CARPZ. P. 2. L. 15. D. 33.; MEV. ad 7. Lub. c. 1. Tit. 7. art. 7. n. 11., & ibi allegati Doctores, quorum sententia non obscure ex art. 7. tit. 5. l. 1. probatur, ubi fidejussio uxoris pro marito cum renuntiatione beneficiorum muliebrium facta, simpliciter valida pronuntiatur, quæ tamen semper vana & irrita esset, si restitutioni in int: contra eam locus concederetur, dum renuntiatio ac fidejussio est negotium, sua natura læsionem continens. Porro femina jure Lubecensi cum curatoris consensu efficaciter donare potest; MEV. ad 7. Lub. l. 1. Tit. 9. art. 4.; si contra donationem hanc restitutioni in integ. detur locus, frustra ea rata firmaque jubetur, cum per illam non possit non lædi donatrix. Verum, si vel restitutionem in integ. concesseris, tamen Dominus LUDEWIG eam non admittet, qui fidejussiones femineas simpliciter validas jure Lub. habet; sin ipse eam indulserit, non inique tum dicere licet, quod glaucomate Juris Romani obductus circulos Juris Romani & Germanici turbet. Sed transeundum est ad Dominum THOMASIVM, qui in Diss. de exiguo usu S^Ci Vellejani in Foris Germanie, alia ratione usum S^Ci Vellejani impugnat. Quemadmodum enim THOMASIVS maxime operam dedit, ut universi Juris Justinianeï usum destrueret, uti constat tam ex notis ejus ad Instit. & ff., quam etiam variis Dissertationibus, quibus in specialibus materiis usum ejus deprimere aggressus est, uti in Disput. de usu practico Institur. Tit. de adopcionibus, item de usu practico Doctrina difficillime de culpæ præstatione in contractibus, & aliis multis, quas studio præter-

mit.

mittimus: Sic animadvertit, suæ intentioni maxime inter alia adversari SCTum Vellejanum, quod una cum jure Justiniano Germania recepit; quam ob rem rerum imperitis inscriptione all. Diss. persuadere, aut potius imponere voluit, exiguum SCTi Vellejani in foris Germaniæ esse usum, & si quis restat, illum iniquum & irrationalem esse. Pro adstruendo exiguo usu SCTi Vellejani, hoc uno utitur argumento, quod scilicet hodie SCTo Vellejano plerumque renuntietur. Ad eundem modum sentit TITIVS in *Observatione 465. ad LAUTERB.*, dicens: *SCTum Vellejanum nullam utilitatem in vita civili habere.* Sed si hæc argumentatio procederet: Huic vel illi juris beneficio renuntiari potest, & sæpe renuntiat, ergo ejus usus exiguus est; sic etiam usus exiguus beneficiorum excussionis & divisionis, fidejussoribus indultorum, afferendus esset, quia his quoque plerumque renuntiari solet. Quin omnia juris beneficia, quæ renuntiationem admittunt, parum usus habebunt, quin *authentica, si qua mulier*, usus exiguus supererit, quia & huic sæpe numero cum juramento renuntiat. Interim non perpetuo SCTo Vellejano & *Authentica, si qua mulier*, renuntiat, aut tamen non debito modo; quibus casibus SCTum Vellejanum & dicta avth. magnam utilitatem feminis affert. Denique vero non facile percipi potest, cui usui thema d. Diss. inserviat, quia si vel maxime semper renuntiatio legitime fiat, tamen cognitio SCTi Vellejani & avthent. *si qua mulier*, scitu erit necessaria, cum nosse debeamus jus, cui renuntiandum est. Reliquum usum SCTi Vellejani ideo iniquum & irrationalem Dominus THOMASIVS habet, quia creditores plerumque decipiuntur, ignorantes, usum SCTi Vellejani receptum, vela feminis aut Notariis vel utrisque. Verum Creditor debet scire leges, ac potest hanc in rem peritiores consulere, nec ob ejus ignorantiam femina hoc beneficium juris adimi debet. Deinde potest femina ipsa, ignara SCTi Vellejani, nec adhibito notario, fidejubere; & sic ratio deceptionis cessat,

B

inde-

indeque usus SCti Vellejani tum rationalis & æquus erit. Interim haud ignoramus, graviter disputari: Numne SCtum Vellejanum Juri naturæ repugnet, etiam, quando deceptio Creditoris nulla adest? Hoc quidam adstruunt, nec sine rationum momentis. Ita sentit CYPR. REGNER. in *Disp.* 25. ad *SCtum Vell. Tit. ff.* ubi ita scribit: quod quilibet homo judicio præditus teneatur ex conventionione sua serio inita. *Hec regula æterni juris est, & summa cum violatione boni publici violatur, nisi contraria Reip. utilitas efficacior dissuadeat, quæ hic pro SCto Vellejano non datur.* Nam præcipua causa SCti Vellej. non est sufficiens, ut liberet mulierem ab obligatione, quam cum judicio & justo modo contraxit; vide eundem in *Cens. Belg.* ad l. 2. & 3. ad *SCtum Vell.* Adeundem modum differit AMESIVS l. 5. *consc. c. 45. n. 5.* ibi: *In contractibus, ubi obligatio naturalis juris indacitur, non posse jus naturale à civili abrogari, neque illum, in cujus favorem lex irritum facit contractum, salva conscientia contra eundem judice coram agere aut petere posse, ut declaretur irritus aut nullus, si constet ipsi de veritate.* Ex horum sententia longissime à vero abeunt, qui SCti Vell. fundamentum ex ipsâ æquitate naturali irritò conatu deducere satagunt. Cum enim feminae sufficientem intellectum & judicium ad reliquos celebrandos contractus habeant, si pro aliis solvere, si donare possint, quidni fidejubere possent? quod minus est. Itaque recte hanc sententiam rejicit Dominus BÖHMER in *Disf. de effc. mul. interc. cap. 1. §. 1. lit. c.*; quamvis eam defendere nitatur DN. TENTZEL in *Disf. de vidua mariti defuncti debita suscip. n. 7.* Communior est sententia eorum, qui ajunt, leges civiles posse intercessionem mulierum, naturali obligatione fringentes, reddere nullas, non tamen æquitatem naturalem præcipere, ut ejusmodi lex condatur. Neque obstare ajunt, quæ in contrarium obmoverent supra all: REGNERVS & AMESIVS, quia Jus Naturæ pro attributo personæ sumptum, per leges positivas augeri, etiam directò tolli ac minui potest, quippe hoc est juris permisivum, quod neque prohibet, neque præcipit; Quibus verbis hoc,

hoc, si mentem recte percipiamus, exprimere forte volunt, quod scilicet facultas fideiubendi sit iuris naturæ permisiui, non præceptiui, quia in cuiusvis arbitrio est, an fideiubere velit, vel non. Hanc ergo licentiam Princeps lege sua circumscribere potest, & iustis ex rationibus sub certo modo cohibere, ne feminae valide fideiubeant, & præcipere, si fideiusserint, ne inde teneantur, cum lex naturæ: Pacta sunt seruanda, ad hunc casum trahi non debeat. BÖHMER all. *Disf. c. I. Lit. b.*, STRUV. in *dec. Sabb. c. 14. d. 29.* GOED. *de cont. stip. c. 7. concl. 16.* Attamen existimamus, cum lex naturæ præcipiat, promissa sine discrimine sexus seruanda, ideo, ubi versamur in dubio circa casum exceptum, magis pro validitate, quam contra eam, pronuntiandum esse; quoties enim non necesse est, a simplicitate iuris naturalis recedere, toties secundum eam iudicandum est.

CAPVT II.

EXHIBENS IPSAS DIFFERENTIAS.

- 1) *Diff. Ima, femina pro alio intercedens ipso iure obligatur, non æque uxor pro marito, quæ late examinatur.* 2) *Quænam in effectu sit differentia, ipso iure nulla sit intercessio, an ope exceptionis elidatur.* 3) *Illda Differentia, quod intercessio feminae pro extraneo post biennium iterata valeat, non æque uxoris pro marito;* 4) *agitur de casu, ubi vidua intercessionem, pro marito factam, repetit, item suscipit æs alienum defuncti mariti.* 5) *Differentia Illtia, quæ renuntiationem beneficii S^Cti Vell. &*

auth. si qua mulier. 6) *an uxor simul renuntiare debeat* SCto Vell. & auth. si qua mulier. 7) *An SCto Vellej. renuntiare possit?* 8) *An renuntiatio auth. jurata esse debeat?* 9) *alia additur differentia inter SCtum Vell. & auth. si qua mulier.*

DIFFERENTIA I.

Primam differentiam inter SCtum Vellej. & auth. si qua mulier, Doctores hanc ponunt, quod femina pro alio intercedens ipso iure obligetur, indeque contra eam actio detur, sed conventa habeat exceptionem SCti Velleiani, qua adiuvatur, ne solvere teneatur. Sin uxor pro marito interceserit, hoc nullatenus valet, acsi neque factum, neque scriptum esset, & inde intercessio est ipso iure nulla, ex qua nec summo iure actio competit contra uxorem, hinc nec exceptione SCti Velleiani opus est; GOEDD. *de contr. Strip.* c. 7. *concl.* 16. RITTERSHVS. *ad Nov. P. 2. C. 4. n. 9.* Prius expeditum est *L. 23. ad SCtum Vell.* *add. l. 16. ff. & l. 23. C. ad SCtum Vell.*, ubi exceptio SCti Velleiani conceditur, quæ supponit, actionem ipso iure fundatam. Posterius vero constitutum legitur in *Nov. 134. c. 8. & auth. si qua mulier Cod. ad SCtum Vell.* Sed quæ prius dicendum videtur, etiam feminam pro extraneo fideiubentem ipso iure non obligari, quia in SCto Vellei. expressum est, ne in feminam eo nomine petitio, actiove detur, *L. 2. §. 1. ad SCtum Vell.* Quæ verba DONELLVS ita interpretatur, ut si constet, mulierem se pro alio obligasse, idque extra eos casus, in quibus cessat SCti Velleiani auxilium; ne omnino detur actio in mulierem. Quodsi ambigatur, utrum se obligaverit pro se, an pro alio, aut interveniunt aliquæ exceptiones, tum quidem detur actio
in

in mulierem, sed & mulieri detur exceptio SCti Velleiani, qua probata, non teneatur; conf. Dominus THOMAS, in all. *Disf.* §. 13., qui verba SCti in l. 2. §. 1. ad SCtum Vell. ne eo nomine ab his petitio, neve in eas actio detur, ita intelligit, scil. ne actio detur cum effectu, cum ea per exceptionem elidatur. Imperator Justinianus noviter in L. 23. C. ad SCtum Vell. constituit, quod intercessio mulieris pro extraneo tum demum ipso iure valeat, quando ea in instrumento publico coram tribus testibus facta, sin hoc neglectum sit, tum ipso iure sit nulla, nec opus quidem SCto Velleiano; quod tamen non extendendum est ad casus, quibus mulier iure efficaciter ex intercessione obligatur; STRYK *de caut. contr. Sect.* 2. C. 6. §. 12. Ex adductis apparet, uno saltem Casu intercessionem ipso iure valere, quando ea in scriptura privata est facta, nec tum constat certo, mulierem intercessisse, vel dubitatur, numme facta iure subsistat, & efficax sit. Proinde vero quâ uxorem, pro marito intercedentem, nonnulli statuunt, etiam uxorem ipso iure obligari, si fideiusserit pro marito in Instrumento, a tribus testibus subscripto; qualiter hæc differentia inter fideiusionem feminarum ipso iure validam ac nullam adhuc valde fluctuat atque dubia est. Sin 2. eam certo modo admittamus, reliqua est quæstio: an in effectu hodie intersit, ipso iure nulla sit intercessio, an exceptionis ope elidatur? quod multi negant; THOMASIVS in supra all. *Disf.* §. 15., TITIVS in *Jur. Priv.* L. 5. c. 18. §. 9., illustris Dominus BÖHMER in *Disf. de efficaci mulier. intercess. c.* 3. §. 2. lit. c., qui differentiam istam ex diverso prætoris & iudicis officio deducunt. Inde colligunt: Quia hodie mos dandi Judices pedaneos, iisque præscribendi formulam exulatur, & unus idemque prætoris & iudicis partibus fungitur, ideo differentiam inter fideiusionem ipso iure nullam, & validam sed exceptione SCti Vell. infirmendam, moribus cesare. Atque hæc sententia in L. 12. ff. de R. 7. fundata videtur, ubi Paulus iam suo tempore dixit: *nihil interest, ipso iure*

quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur; inde Dominus BÖHMER prorsus turpe dicit, inutiles eiusmodi apices processus formularii pro veris iurium differentiis obtrudere incautis. At enim vero inde, quod hodie formularia Jurisprudencia exulet, unus idemque iudex de iure & facto cognoscat, argumentari non licet, quod omnis differentia inter actum ipso Jure nullum, & ope exceptionis infirmandum, sublata sit, quia hac ratione tota Jurisprudencia Romana extra usum in Germania erit, dum diversum officium prætoris & iudicis olim in omnibus causis occurrebat, sed hodie in omni cessat causa. Sit itaque, quod hodie iudex partibus prætoris & iudicis una fungatur, nihilominus differentia ratione rei & juris, partibus competentis, perdurat, & non obstante, quod mos dandi iudices pedaneos & præscribendi formulam exoleverit, hodie obtinere potest. Itaque cum iudex hodie munus prætoris sustineat, poterit actorem, ubi intercessio ipso iure nulla est, a limine iudicii æque, ut olim prætor, repellere, si intercessio ipso iure valeat, & actio inde detur, cum iudicis pedanei partes quoque sustinet, actorem cum sua actione admittere, & feminam cum exceptione S^Ci Velleiani audire, & discussam causam per sententiam decidere. Neque obstat *L. 112. de R. J.*; quia nihil interest qua effectum liberationis, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, bene vero interest qua modum liberationis & alios effectus. Porro Doctores adhuc alias differentias inter fideiusionem feminarum ipso iure nullam ac validam, per exceptionem S^Ci Vellej. infirmandam, afferunt. Nam dicunt, iudicem intercessionem ipso iure nullam, parte non petente, ex officio attendere debere, sed omisam exceptionem S^Ci Vellejani supplere non posse. Vnde aliam differentiam ducunt, quod non opposita exceptio S^Ci Velleiani tacitam involvat renuntiationem, non æque si non allegata nullitas intercessionis. Sed hanc differentiam TIRIVS in *Jur. priv* all. *L. & Dominus THOMASIVS*

MASIVS in *Disf. de exiguo usu SCti in foris Germ. §. 15.*, non agnoscent, statuentes, quod iudex exceptionem SCti Vellejani, ubi ea liquida est, perinde ex officio supplere debeat, ac quidem exceptionem nullitatis, & similiter, si nullitatem non objiciat, nec iudex eam suppleat, perinde ei renunciatum videri, ac exceptioni SCti Vellejani, si ea tempestive non allegetur. De quo tamen non immerito dubitat Dominus TENZEL in *Dissert. de vidua mariti defuncti debita suscipiente*, §. 5. Denique Dominus LVDEWIG aliam differentiam inter actum ipso iure nullum, & validum quidem, sed exceptione infirmandum, tradit, quod nempe sententia pro actu nullo lata, laboret insanabili nullitate, indeque 30. annis impugnari possit, quod secus esse dicit qua sententiam, quæ contra exceptionem SCti Vellejani pronuntiatur, a qua vel appellandum, aut aliud ordinarium remedium impugnativum contra eam instituendum sit. Verum hæc differentia suspecta videtur. Nam sententia est nulla, quæ contra jus constitutum. Quare dicendum videtur, paria esse, ubi iudex sive qua actum ipso iure nullum aut validum, sed per exceptionem elidendum, contra ius in thesi pronuntiat, cum utroque casu eadem sit nullitas, hinc utrinque idem ius obtinere debet. Num vero insanabilis nullitas sit, quando sententia est contra ius constitutum, adeoque nulla quoad iustitiam causæ, hæcque talis sit, ut querela nullitatis ad 30. usque annos contra eam locum habeat; alia est quæstio, quam nunc non facimus nostram; vid. LYNCKER. in *anal. ad STRUV. L. 49. Tit. 8. ib. 8.*; conf. Dominus COCH. in *Pr. for. Ger. Cap. 27. §. 2. Trib. Ordn. P. 3. tit. 5. §. 3.*, Hoffger. *Ordn. P. 3. tit. 2. §. 3.* Inter alias differentias Dominus LVDEWIG all. *L. etiam refert*, quod exceptio nullitatis etiam post sententiam, quin in executione opponi possit, non æque exceptio SCti Vellejani. Verum communiter Doctores asserunt, exceptionem SCti Vellejani quoque post rem iudicatam ad executionem impediendam opponi posse. LAVTERB. *Tit. ad SCtum Vell.*

Vell., Dominus COCH in *Pr. for. Ger. parte 3. pag. 352.*, BERGER in *econ. jur. L. 3. tit. 3. n. 7.*, qua sententia admiffa, hoc discrimen quidem cessat.

DIFFERENTIA II.

3. *Secunda differentia inter SCrum Vellej. & avrb. se qua mulier,* Sin eo conſtitit, quod interceſſio feminæ perfectæ ætatis pro extraneo, ſi poſt biennium iteretur, fit valida, nec contra eam mulieri detur Velleian. beneficium, ſed ante biennium poſt priorem cautionem interceſſionem repetens ſibi non præiudicet, *L. 22. C. ad SCrum Vell.* Ratio conſtituti iuris in ipſa lege his verbis exprimitur, *videtur enim ex huiusmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione ſe illigare, ſed pro ſua cauſa aliquid agere.* Atque hanc præſumptionem eſſe iuris & de iure, tradit MENOCHIVS de *Præſumpt. L. 3. præf. 21. n. 2.*; vid. tamen HERING in *Tr. de Fidej. cap. 7. n. 449.* conf. BÖHM. in *Diſf. de eff. mul. interceſſ. cap. 2. §. 9. lit. r.*, ubi dicit, ne quidem beneficii certiorationem requiri, MENOCH. de *Præf. L. 3. præf. 21.* HERING de *fidej. n. 450. &c.* Interceſſio vero pro marito, etſi multoties repetita, nunquam tamen convaleſcit, *Nov. 134. c. 8. avrb. Si qua mulier C. ad SCrum Vellei.* ibi.: *Sive ſemel ſive multoties huiusmodi aliquid pro eadem re fiat.* Neque intereſſe putamus, ſive fiat repetitio ante biennium aut poſt biennium. Nam licet Imperator ne verbulo quidem biennij mentionem fecerit, & ſermo ſit hic de iure, interpretatione minime ampliando, uti has dubitandi rationes neſcit Dominus BÖHMER in *all. Diſf. cap. 3. §. 6. l. 5.* Attamen cum imperator Juſtinianus in interceſſione pro marito novi aliquid & diverſum a *L. 22. C. ad SCrum Vell.* in *Nov. 234. c. 8.* introducere voluerit, & vero in *L. 22. all.* iam conſtitutum fuerit, ne valeat repetita intra biennium a femina pro extraneo facta interceſſio; hinc *Nov. & avrb. all.* vix ac ne vix quidem aliam interpretationem admittit, quam quod verba
illa

illa, sive semel sive multoties de repetitione post biennium facta, accipienda sint. Accedit etiam diversitas rationis inter feminam, pro extraneo intercessionem repetentem, & uxorem pro marito, quia ratio, ob quam hæc est nulla, nempe metus & blanditiæ maritales, perpetuo, dum durat matrimonium, adest, & hinc intercessio post biennium ab uxore repetita non magis firma, quam quæ fit ante biennium. Sed quid dicendum est, si uxor vidua facta, intercessionem quandam pro marito factam repetat, an non illa valida habenda sit, ita, ut nec nullitatis, nec SCTi Vell. exceptio opponi possit? Dominus BÖHMER in *Disf. de efficaci mul. intercesf. cap. 3. §. 5. lit. r.* & Dominus TENZEL in *Disf. de vidua mariti debitum suscipiente, §. 26.*, viduam adiuvandam esse volunt, & quidem ex sententia Domini TENZEL, non quidem beneficio SCTi Vell., sed avth. *si qua mulier C ad SCtum Vellej.*, ubi nempe intercessio pro vivo marito facta post biennium, ab obitu mariti computandum, a vidua iterata est. Quid obtineat, si repetitio ante biennium facta, ipse non determinat, sed ex adductis sequi videtur, hoc casu etiam SCTo Vellej. locum esse. Porro Dominus TENZEL in §. 25. *d. Disf.* adstruit, quod vidua, pro mortuo marito intercedens, non beneficio avth., sed saltem SCTo Vell. uti possit, quoniam ratio avth., metus & blanditiæ maritales, supponit maritum in vivis existentem; SCTum Vell. vero intercessionem feminarum in genere improbat. Nolumus in præsentiarum, quæ modo adductis obmoveri possunt, asserre; non tamen illud præterire nobis visum est, quod Dominus LVDEWIG in *Disf. de differ. Juris Rom. & Germanici in fidej. uxor. in fin.*, MEVIVM in *P. 7. Dec. 229.* statuentem adducat, quod uxor, mortuo marito, intercessionem pro eo vivo factam repetens, omnino obligetur; quam sententiam ipse non quidem iuri Romano, sed Germanico, quo turgidus dicitur Domino TENZELIO in *all. Disf.*, convenire asserit. Sed constat ex *all. Decisione illustris Domini MEVIVII*, quod non

agat de intercessione pro marito vivo facta & a vidua repetita, sed de vidua, mariti defuncti debitum nova promissione suscipiente, quo casu authentica, *si qua mulier* & SCTo Vellejano non esse locum, decidit; quam sententiam Dominus TENZEL ex professio in *Disf. de vid. mar. def. deb. susc.* §. 21. ad finem, propugnat, & §. 41. plures consentientes JCTos, nec minus quosdam dissentientes adduxit. Conf. STRYK. de *caut. contr. Sect. 2. c. 6. §. 8.*, qui cautelam ad intercessionem pro marito factam convalidandam suppeditat, ut post mortem mariti desideret creditor, quo de novo in se suscipiat obligationem femina. Dominus BÖHMER in *all. Disf. c. 5. §. 3. lit. r.*, existimat, viduam contra hanc cautelam allegare posse beneficium avth. *si qua mulier*; sed Dn. TENZEL in sæpe citata *Disf.* opinatur, viduam in praxi beneficio authentica non posse frui, idque ob rationem avth. deficientem. Sed idem, ceu supra adductum est, statuit, viduam post mortem mariti, & quidem post biennium, a morte mariti computandum, intercessionem pro marito vivo factam, repetentem beneficio avth. frui posse, cum tamen in repetitione ista æque adducta ratio authentica deficiat; unde etiam Dominus LEYSER in *Med. 7. Spec. 172.* statuit, quod uxor, quæ pro marito vivo intercescit, sed debitum, eo mortuo, agnovit, efficaciter obligetur, nec beneficio SCTi Vell., vel avth. *si qua mulier*, uti possit.

DIFFERENTIA III.

5. Tertia differentia inter SCTum Vell. & avth. *si qua mulier*, maxime observatione digna hæc communiter statuitur, quod femina intercessio, pro extraneo facta, valida sit, si modo SCTo Vell. renuntiatum sit, etiam sine juramento, modo certioratio præcesserit. Quodsi vero uxor pro marito intercesserit, putatur, quod illa beneficio avth. renuntiare non possit, nisi quod praxi universali in Germania per Jus Cano.

Canonicum valeat intercessio uxoris, si jurato renuntiaverit sub formula: So wahr mir Gott helffe, ut adeo non sufficiat renuntiatio facta an Lydes statt, quin imo plane nonnulli, nequidem juratam renuntiationem in fidejussione uxoris pro marito eam convalidare, contendunt; CÆVALL *Opin. commun. contra com. qv. 727. n. 3.* Præterea nonnulli requirunt, 6. ut uxor pro marito intercedens non solum SCto Vellejano, sed etiam avthenticæ, si qua mulier, renuntiet; COCCEJ. *Jus controv. ad LAVTERB. tit. ad SCtum Vell. qv. 13.*; MEV. *P. 6. Dec. 22. n. 4.*; aliique apud MÜLLER. ad STRÜV. eod. *Tit. §. n. lit. d.* Verum nobis videtur hæc sententia suppeditare ansam perjurii. Nam SCto Vellejano continetur, quod femina tam pro marito, quam extraneo intercedens, ex hac fidejussione solvere non debeat. Quodsi vero femina jurato renuntiet SCto Vellejano, & promittat solutionem ejus, pro quo fidejussit, tum revera perjurium committeret uxor, si beneficio avthenticæ, quæ principaliter idem continet, quod SCtum Vellejanum, juratam fidem vellet fallere. Conf. BÖHM. sæpe all. *Disf. c. 38. lit. ii.* Interim tutius omnino est, & maxime svadendum creditori, qui uxorem fidejussorem pro marito accepit, ut curet, renuntiationem fieri tam avthenticæ, si qua mulier, quam SCto Vell. sub hac formula: Ich be-
gebe mich aller weiblichen Gerechtigkeit, und nahmentlich des so genannten SCti Vellej., nach welchem sich keine Weibess Person verbürgen kan; wie auch insonderheit der avthenticæ, si qua mulier, nach welcher besonders eine Ehe- Frau vor ihrem Ehe-Man sich nicht verbürgen mag. Quod igitur ad allatam tertiam differentiam attinet, illa utrinque impugnatur. Nam primum qua renuntiationem factam SCto Vellejano multi SCti statuunt, eam non valere; pro qua sententia quoque militant Dominus THOMASIVS in *Disf. de Exiguo usu SCti Vellej. §. 19. & seqv.*; LVDEWIG in *Disf. de diff. Juris Romani & German. in SCto Vellej. P. 1. Diff. 2. n. 35.*, apud quos videre licet varia argumenta, quibus eam defendere conatur.

tur. Verum hi quidem inaniter ac inutiliter nostræ differentię litem movent, cum agnoscant, renuntiationem S^{cti} Vellejani hodie valere. Præterea existimamus, sententiam hanc legibus quoque fundatam esse, ceu apparet ex *l. 32. §. 4. ad S^{ctum} Vellej. Nov. 118.*, qua a matre & avia exigitur, ut renuntient S^{cto} Vellejano suscepturæ tutelam. Equidem Dominus LVDEWIG statuminat, hic adesse exceptionem a regula; quod vero divinatorium est, cum sit casus de regula, juxta quam quilibet suo favori renuntiare potest; *C. 6. X. de Privileg. l. 41. ff. de min. l. 20. C. de pactis &c. conf. GOTHFR. LVDOV. MENCKENII* *Disf. de valida intercessione mulieris S^{cto} Vellejano renuntians;* Dominus BÖHMER de *effic. mul. interc. cap. 2. §. 15.*, qui ad contraria argumenta solide responderunt. Verum de renuntiatione authentice *si qua mulier*, difficilior est quæstio: Numne ea ab uxore, pro marito intercedente, sine juramento facta, valida sit? Communior est sententia negativa, quam amplectuntur MEV. *P. 7. Dec. 229. not. 1.*, CARPZ. *P. 2. c. 16. def. 1.*, STRYK. *us. mod. ff. tit. ad S^{ctum} Vellej. §. 8. & 9.*, LEYSER in *Med. 1. spec. 172. ad S^{ctum} Vell.*, JOH. SIBRAND de *intercesf. mul. pro marito, tb. 18.*, & ibi all. Doctores. Hanc sententiam sequentibus rationibus probare allaborant, Primam supponunt, quod avth. *si qua mulier*, sit lex prohibitiva; quod probare intendunt ex ipsa avth. & quidem his ejus verbis: *Jubemus hoc nullatenus valere*, item, quod in d. avth. dicatur, *intercessionem ita esse nullam, ac si nunquam scripta ac facta esset*, itidem quod in avth. solummodo casus, ubi versio in rem uxoris probari potest, excipiat; unde colligunt, ceteros casus esse prohibitos. His addunt *L. 2. pr. ff. ad S^{ctum} Vellej.*, ubi expresse dicitur, interdictum esse, ne femine intercederent; jam vero constat, jus prohibitivum esse irrenuntiable. Denique pro hac sententia adducitur, quod ratio authentice, nempe metus & blanditiæ maritales, in renuntiatione æque ac intercessione obtineat: Quamobrem etiam noviter intercessio uxoris pro marito cum

inju-

injurata renuntiatione, præfente notario & testibus, facta, accedente quoque certioratione beneficii avth. *si qua mulier*; per sententiam Dicasterii in Sachen Chronen Erben wieder die Magdeburgischen Kinder, invalida pronuntiata est, & præpimis pro ratione decidendi adductum est, quod juxta praxin Pomeraniæ injurata uxoris, pro marito intercedentis, renuntiatio avth. nulla & invalida habeatur. Verum nihilominus multi celeberrimi Jcti defendunt contrariam sententiam, dicentes, quod injurata avth, renuntiatio ab uxore, pro marito intercedente facta, maxime, si uxor beneficii avth. a notario certiorata est, idque præfentibus testibus, de jure valeat; MATTH. STEPHAN., Jctus Pomeranicus, ad Nov. 134. n. 8; CORN. VON ECK ad h. t. ff. ad SCtum Vell. post. 14; BÖHMER. in Disfert. de eff. mul. interc. c. 3. lit. cc.; TEXTOR in Dec. 73. ibi: *Specialis tamen renuntiatio præter SCtum Vellej. necessaria est beneficio avth. si qua mulier sive Nov. 134. cap. 8. & quam renuntiationem nonnulli juratam esse volunt, sed sine textu.* Atque hanc sententiam Facultas Juridica Gryphisw. nuper ad consultationem der Chronen Erben in dato responso, quod & mecum a Dn. Decano communicatum, secuta est, quia ista sententia juri magis convenire videtur; quod pluribus nunc demonstrare & evincere, haud abs re erit. Primum supra regulam dedimus, quod quilibet juri pro se introducto renuntiare valeat, quæ utroque Jure, Canonico & Civili, munita est. Hæc regula quo minus in uxore, beneficio avthentice renuntiante, obtineat, ac quidem in femina, SCto Vellejano renuntiante, obtinet, nulla nobis sufficiens diversitatis ratio subesse videtur. Nam regula est generalis, cui inhæ-

rendum, donec is, qui exceptionem comminiscitur, eam legitime probaverit. Jam vero supra pro contraria sententia adducta invaliditatem intercessionis, ab uxore pro marito beneficio avth. renunciante factæ, non idonee probare, non solum infra apparebit, ubi illa amoliri constituimus, sed satis ex ipsa avth. *si qua mulier*, constat evidenter, eo quod in d. avth. de renuntiatione beneficii avthenticæ prohibita, ne verbulum quidem extet; unde dispositionem avth. ultra mentem & citra verba ad prohibitionem renuntiationis extendere non licet. Quodsi Imperator JUSTINIANVS intendisset, renuntiationem avth. irritam & nullam declarare, paucis verbis exprimere potuisset, quod renuntiatio avthenticæ, uti ipsa intercessio, irrita & nulla esse debeat; quod vero factum cum non sit, inde colligere licet, ex mente Imperatoris renuntiationem beneficii avth., ab uxore pro marito factam, invalidam non esse. Nec enim constat, Imperatorem uxores invitæ ad beneficium hoc cogere voluisse, sed volentibus illud dedisse saltem; quod inde elucet, quod uxor pro marito intercedens ac sciens, se inde non teneri, tamen quod fidejusfit, solvens, solutum per conditionem indebiti repetere non possit, arg. l. 40. ff. & l. 19. C. ad SCrum Vellej. Secundo pro sententia nostra faciunt ea, quæ in fine cap. 1. adducta sunt, ubi allegavimus JCTos, qui in ea sunt opinione, Jus Civile, feminas vel uxores obligationi ex fidejussione eximens, juri naturæ contrarium esse, cum lex naturæ immutabilis præcipiat pactorum observationem. Huic sententiæ quidem nostrum calculum penitus non adjecimus; tamen hoc inde deduximus consecrarium, quod circa inter-

interpretationem hujus juris ita versari debeamus, ut minime a jure naturæ recedamus. Itaque uti quidem dispositionem avth. *si qua mulier*, uxoris intercessionem pro nulla ipso jure declarantem lubentissime in decidendo sequimur; sic e contrario, cum de renuntiatione avth. in ipsa avth. nil dispositum inveniat, merito juri naturæ inhærendum est, quod jubet, pacta esse servanda; qua ratione ex lege naturali jus civile interpretationem accipit. Exemplum nobis est cognitum uxoris, quæ pro marito cum injurata renuntiatione avth. *si qua mulier*, in magnam pecuniæ summam intercesserat. Hæc cum a creditore ad solutionem ex fidejussione sua moneretur, advocatus quidam suppetias laturus, eam, ne solveret, hortabatur, eo quod ob deficientem juratam renuntiationem non obligata esset; sed ipsa ex dictamine rationis sanæ nefas duxit, pactum perfide rumpere, indeque integram summam persolvit. Tertio nostræ sententiæ adminiculatur, quod uxor beneficiorum muliebrium certiorata, iisdem renuntians in aperto versaretur dolo, si fidem deliberato datam falleret. Jam vero leges feminis deceptis, non decipientibus succurrunt, l. 2. §. 3. l. 30. ff. l. 5. l. 18. Cod. ad SCrum Vell. Equidem Dominus LEYSER, in Med. 3. spec. 171. ad ff. has leges ad feminas, pro extraneis intercedentes, restringere videtur, dicens, eas ad uxores pro maritis fidejubentes non pertinere, quia scientia juris & beneficiorum, uxoribus competentium, in iis non involvat dolum. Verum quando uxor pro marito intercedens de beneficio avth. & SCti Vell. certiorata, eidem renuntiat, tum non solum adest notitia juris sui, sed

fed concurrat ejusdem voluntaria abdicatio, hinc omnino in magno dolo existeret ejusmodi uxor, si fidem datam fallere, & beneficio avth. in fraudem factæ renuntiationis uti, eo tempore, quo renuntiavit, jam in animo habuisset; unde ejusmodi uxori, æque ac feminæ pro extraneo intercedenti, auxilium avth. merito denegatur, quia avthentica nec uxori deipienti succurrit. Denique 4to renuntiatio S^Ci Vellejani injurata hodie valet, quin etiam de jure civili, ceu supra probatum est; sic æque renuntiatio avth. injurata valere potest, non obstante, quod utrumque feminarum favorem respiciat. Sed ut eo magis nostra sententia confirmetur, necessum erit, dissentientium argumenta expendere, ad eaque respondere. Palmarium vero eorum, qui juratam renuntiationem requirunt, argumentum est, quod avthentica *si qua mulier*, seu *Nov. 134. c. 5.* sit lex prohibitiva, jus vero prohibitivum reputetur irrenuntiable, *L. 7. C. de leg.* Sed primum petitio principii est, an d. avth. seu Novella sit lex prohibitiva? Quod negat Dn. BÖHMER. in all. *Disf. c. 1. §. 8. lit. ee.* & in *c. 3. §. 8. lit. ll.*, tantumq; admittit, Novellam esse legem prohibitivam secundum quid intuitu creditoris, non vero simpliciter talem respectu etiam debitoris, ut hæc non possit beneficium dimittere, si velit. Sed ne quidem opus videtur, tantum concedere. Nam si vel maxime demus, intercessionem uxoris pro marito, si fuerit inita, nullam, & pro non scripta haberi; attamen inde minime sequitur, ut etiam renuntiatio sit prohibita & nulla, quippe de renuntiatione in d. avth. nil dispositum est. Argumentatio vero a nullitate intercessionis ad nullitatem renuntia-

nuntiationis non procedit. Leges enim civiles, juri naturæ detrahentes, non patiuntur extensionem, sed potius restringendæ sunt, quippe etiam in jure singulari, quod omnino est beneficium avth. *si qua mulier*, plane interpretationi extensivæ non est locus. Nam quod contra rationem juris communis propter utilitatem aliquam certis in personis constitutum est, id producendum non est ad consequentias; *C. 14. & seqq. ff. de LL.* Quapropter extensiva illatio a nullitate intercessionis uxoris pro marito facta ad renuntiationem beneficii avthenticæ minime valet, ceu pluribus ostendit Dominus BÖHMERALL. *Disf. c. 1. §. 8. lit. ee.*, ubi quoque ad rationem, desumptam ab excepto solummodo casu versionis in rem uxoris, satis respondet. Quod demum attinet ad *L. 2. pr. ff. ad SCtum Vell.*, qua diserte dicitur, jam olim uxoribus interdictum esse, ne feminae pro viris suis intercedant, existimat Dn. BÖHM. all. *Disf. c. 1. §. 6. lit. z.*, Ulpianum verbum interdictum abusive sumfisse, & eodem modo accipi debere, ac quando de SCto Vellej. dicitur in *L. 2. ff. §. 1. b. t.*, æquum non esse, mulieres hujusmodi obligationibus obstringi, & in *l. 1. pr. ff. eod. Vellejano* comprehensum esse, ne pro ullo feminae intercederent &c. Itaque uti hæc verba in SCto Vell. non obstant, quinminus ejus valeat renuntiatio, sic nec verbum interdictum obstat, quin valeat renuntiatio uxoris pro marito intercedentis; ne dicam, quod Dn. MENCKEN. in supra all. *Disf. §. 19.* verbis, *intercedere, non permitti intercedere, item ne intercedant*, eam vim non tribuat, quam lex *§. C. de LL.* vocabulo *prohibere* singulariter assignat. Plus in recessu habere videtur, quod dissentientes objiciunt, rationem avthenticæ, nempe merum & blanditias, æque in renun-

D

nun-

nuntiatione uxoris ac intercessione adesse, hinc neutram valere posse. Verum hac ratione nec jurata renuntiatio avth. *si qua mulier*, vires habebit, cum hæc quoque metu & importunis sollicitationibus extorta esse possit: Quin nec S^Cto Vellejano renunciari poterit, quia femina omnis eadem facilitate & levitate, qua intercedit, etiam renunciatura est, & tamen hæc renuntiatio vulgo in praxi valida habetur. Deinceps insignis deprehenditur differentia inter simplicem intercessionem & huic accedentem renuntiationem. Nam renuntiationem præcedere debet informatio uxoris de tenore avth. *si qua mulier* & S^Cti Vell. Quodsi ergo facta sufficienti certificatione, tamen renuntiet uxor beneficiis muliebribus, hacque ratione ostendat constantem & deliberatam voluntatem se efficaciter obligandi, tum postmodum merito a beneficio avth. *si qua mulier*, excluditur. In simplici vero intercessione certioratio non intervenit, hinc haud inique adjuvatur avth. *si qua mulier*. Denique superest, ut de praxi Pomeraniæ quædam addamus, in qua sententia Dicafterii fundatur. Quodsi hæc legitime probata fuerit, ei omnino standum fuit. Alias vero constat, eam nudo Magistratus asserto non probari; *Mev. P. 4. Dec. 2.* Præterea etsi aliquando olim ita judicatum est, tamen constat, rem judicatam judicii inferioris inter partes jus facere, non legem generalem constituere, nec tertio præjudicare, quo spectat, quod dici solet, non exemplis, sed legibus judicandum. Unde iudicibus legibus nostris graviter injunctum est, veritatem sequi legum & justitiæ legere vestigia, non vero exempla, & res judicatas respicere; *Nov. 69. c. 4. §. 2. L. 13. de sent. L. 12. ff. de offic. pres.*

L. 2

L. 1. §. 10. L. de vet. jur. enucl. ; MEV. P. 6. Dec. 54. Ast quid dicemus ad allegatam illustris Domini MEVII not. 1. Dec. 229. P. 7. Ex ipsa decisione apparet, ibi neutiquam decidi casum uxoris pro marito suo intercedentis, & avth. *si qua mulier*, sine iuramento renuntiantis, sed ipse saltem in not. 1. Doctorum opinionem hac de re refert, & quamvis in fine notæ scribat, *uti in Decisionibus alibi scriptum reperies*, nulla tamen decisio, quantum quidem nobis constat, in toto volumine Decisionum reperitur, qua decisum sit, injuratum renuntiationem uxoris pro marito intercedentis, prævia plenaria a notario coram duobus testibus facta certioratione beneficii avth. *si qua mulier*, nullam ac invalidam esse. Verum lubentissime illis relinquimus iudicium, praxin Patriæ hac in re determinandi, qui eam magis cognitam habent. Nobis nunc satis est, evicisse, nostram sententiam iuri Justiniano & naturali & antiquæ Germanorum fidei convenire, contrariamque vero nec iure fundatam, & a more majorum degenerare, ac multiplicationem iuramentorum in vita civili saltem inducere. Postquam enim quis novit, iniuratum renuntiationem non sufficere, nemo nisi iuratum admittet, qua ratione uxores per hanc æque facile, ac per iniuratum renuntiationem a beneficio avth. *si qua mulier*, submoveri possunt. Interim observandum est, quod nonnulli ex illis, qui iuratum renuntiationem exigunt, statuant, quod, si uxor moriatur, non revocata intercessione, cui accessit renuntiatio ex omissione jurisjurandi vitiosa, ejus hæredes quasi purgato vitio obstrictos

esse; CARPZ. P. 2. C. 16. Def. 9. Id. de jur. fem. dec. 4. post. 8. PHILIP. ad Dec. 25. Obs. 3. n. 10. 12., STRYK. U. M. ff. ad SCtum Vell. 15., quam sententiam refellere aggressus est Dominus BOHM. 9. in all. Disf. c. 3. §. 9. lit. 55. Essent forte adhuc aliæ differentiæ, veluti, quod uxor cum marito se ream debendi principalem constituens, in nihil obligetur, nisi pecunia in uxoris usum conversa manifeste a creditore probetur; ad quod non sufficit, quod uxor in instrumento confessâ sit, se mutuum accepisse, atque in utilitatem suam convertisse; MEV. P. VIII. Dec. 453. Sin femina cum extraneo in eodem instrumento se tanquam corream debendi obligaverit, & in instrumento obligationis simul fateantur, se pecuniam accepisse, & in usus suos convertisse, mulier non pro correo intercessisse, sed principaliter sui causa contraxisse præsumitur, donec pecuniam in alterius utilitatem saltem pervenisse, a muliere probetur; MEV. P. 6. Dec. 296. Attamen talis mulier correa debendi non tenetur, nisi pro parte dimidia, quia pro altera parte suscipit alienum debitum, adeoque intercedit, hinc SCto Velleiano tuta,

Sed placet, contrahere vela, & quod superest, soli & omnipotenti DEO sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem,





Greifswald, Diss., 1726-32

ULB Halle

3


004 529 650



f
sb.







1792 13

DISQUISITIO JURIDICA INAUGVRALIS
DE
DIFFERENTIIS
INTER SCTVM VELLEJ. ET AVTH.
SI QVA MVLIER C. AD SCTVM VELLEJ.
SEV
INTER VXOREM PRO MARITO ET MVLIEREM
PRO EXTRANEQ INTERCEDENTEM.

QVAM,
DIVINA FAVENTE GRATIA,
IN ILLVSTRI ACADEMIA GRYPHICA,
P R Æ S I D E
DN. PHILIP. BALTHASAR.
GERDES,
JCTO, REGII CONSISTORII PER POMERANIAM SVE-
CICAM ET RVGIAM DIRECTORE,
PROF. JVR. ORDINARIO, FAC. JVR. SENIORE ET H. T. DECANO.

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,
D. AVG. MDCCXXXII.
IN AVDITORIO MAXIMO
H. C.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
CARL DANIEL SCHLAFF,
REGII SVMMI TRIBVNALIS, QVOD EST WISMARIÆ,
DESIGNATVS PROCVRATOR,
CIVITATIS WISMAR. SENATOR, ET ADVOC.
CANCELL. SCHWER.

GRYPHISWALDIÆ, ex Officina C. HOEPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

